



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia
Spiritualia Qvadragesima, De Sacrosancto Eucharistiæ
Sacramento**

Pinelli, Luca

Coloniae, 1608

Christvs Ad Colvmnam flagellatur. Ioan.19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

DE PASSIONE CHRISTI. 41
CHRISTVS AD COLVM-
nam flagellatur.

Ioan. 19.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONSIDERA, quomodo Pilatus
Iudæorum instantiam vt Christum
morti adiudicaret conspiciens: & ex altera
parte nullam in Christo culpam inueniens
vt eum liberaret, Christum flagellis cædi
iussit, quo hac ratione Iudæorum animos
placaret.

II. **C**ONTEMPLARE, quo pudore
suffusus fuerit Dominus maiestatis, cum in
omnium præsentia vestibus spoliaretur:
Qua contumelia affectus, cum veluti bestia
ad columnam ligaretur: Quot dolores sen-
serit, cum flagellis crudelissimè cæderetur.
Et cogita horum omnium causam peccatis
tuis assignandam esse.

III. **A**SPICE generosum IESV Christi
animum, quem nec dolor nec pudor ad in-
dignationem aut lachrymas permouere
potuit: sed nostra semper commoda animo
voluens, maiora pro nobis perpeti deside-
rabat.

DOCV

DOCUMENTA.

1. **C**Aue fili ne malè agas, non enim excusaberis etiamsi intentio tua in bonum finem respiciat, vt videlicet bonum aliquod inde sequatur, aut malum aliquod impedias. Ideoq̄ peccauit Pilatus, qui IESVM flagellis cedi imperauit, vt eum è manibus Iudæorum liberaret.

2. Disce à Christo, mortificationem pro DEI amore amplecti, que quanto sensui molestior est propter humanos respectus, & dolorem quem sibi coniunctum habet, tantò amplius prodest spiritali.

3. Filijs verus DEI amator, & videberis tibi nunquam satis multa pro DEI amore fecisse: sed semper plura facere desiderabis.

COLLOQVIVM.

EXistimabam dulcissime IESV, Pilatū tui tanquam à Iudæis iniuste accusati commiseratione tactum, aliquid tibi auxiliaturum esse. Sed heu plus tibi nocuit. Iudæi enim intelligentes cum post flagellationem te dimittere decreuissent, inter flagella te morti tradere cogitarunt, ideoque crudelem in modum flagris in corpus tuum desquieverunt. O clementissime Domine, tu piam illam legem tulisti ne in flagella-

dis

DE PASSIONE CHRISTI. 49

dis hominibus quadraginta plagarum numerus excederetur, ne reus multis verberibus sedē dilaceratus abiret. Tibi vero nec lex patrocinator, nec pietas aliqua impenditur. O dulcis Redemptor mi, quid te ligatum & immobilem tenet in tam ignominioso supplicio: Non Iudæorum funes, sed amoris tui catenæ. Hic est qui viam tuæ liberationi obstruxit. Hic facit, ut nemo Passionis tuæ impedimento sit. Veni anima mea, & collige in vasculum cordis tui, preciosum Iesus Christi sanguinem, quo muri & columnæ asperguntur, & velut remississimam custodi: utilis enim erit tibi ad placandam iusti Dei indignationem, quando tibi offensus fuerit.

CHRE